


Det här verket har digitaliserats vid Göteborgs universitetsbibliotek.  
Alla tryckta texter är OCR-tolkade till maskinläsbar text. Det betyder att du kan söka och kopiera texten från dokumentet. Vissa äldre dokument med dåligt tryck kan vara svåra att OCR-tolka korrekt vilket medför att den OCR-tolkade texten kan innehålla fel och därför bör man visuellt jämföra med verkets bilder för att avgöra vad som är riktigt.

This work has been digitised at Gothenburg University Library.  
All printed texts have been OCR-processed and converted to machine readable text.  
This means that you can search and copy text from the document. Some early printed books are hard to OCR-process correctly and the text may contain errors, so one should always visually compare it with the images to determine what is correct.



(Brylson's) } Teal  
} in  
} Uppenberg





(In) 1600-talis  
[Part. 1]  
[Suppl. 5.]

ORATIO  
De  
NATO JESU  
CHRISTO.

Quam  
Deo Duce atq; *Auspice,*

In Virorum Reverendorum, Clarissimorum & Doctissimorum  
consensu, in regia Academia quæ Aboæ est. 16. Decemb.

Anno 1644. in Auditorio Minori publice & memoriter recitavit,

CANUTUS JACOBI CARLMANNUS Bothn.



Generosissimo atq; Nobilissimo Domino

**DN. JOHANNI Rhyle/**

Domino de Frötuna/Drättinge/Berga & Harg/  
australis Bothniæ provincialis Toparchæ  
eminentissimo, Domino suo gratiosissimo.

**M. ERICO MATTHIÆ,** *Bothniensium Præposito  
Generali, dignissimo, nec non Scholæ Neocarlebyensis In-  
spectori vigilantissimo, parætiæq; Pederförens Pastori  
meritissimo.*

**M. Thomæ Florino,** *civitatis Wazaensis parætiæq; Pa-  
stori commendatissimo.*

**Dn. Jacobo Carlmanno,** *Neocarlebyensium Past. meritiss:  
Parenti suo omni filiali obsequio honorando.*

**Dn. Erico Galle/Gamble Carlebyensium Past. vigilantiss.**

**Dn. Gustavo C. Witting Doctoresium Past. accuratissimo,  
avunculo suo omni obsequio semper colendo.**

**Dn. Jacobo Brennero Cronbyensium Pastori dignissimo.**

**Dn. Paulo Marci Bhoom/Scholæ NeoCarlebyensis Rectori  
clarissimo, Præceptori suo quondam sumè devenerando.**

**Dn. Carolo Canuti Westzynthio, Comministro Verbi Dei in Pæ-  
dersföre fidelissimo.**

**Dn. Erico Isaaci Sutturill/ibidem Symmistæ solerti.**

**Dn. Gregorio Raumanno, Sacellano in NeoCarleby pervigili, praece-  
ptori suo quondam atatè colendo.**

**Dn. Nicolao Ringio, Scholæ NeoCarlebyensis Correctori solertissimo**

*Consulibus & Senatoribus.*

Dn. Gabrieli Liungonis, *Gamblecarlebyensium Consuli prudentissimo*

Dn. Josepho Jacobi, *Civitatis Neocarlebyensis Consuli spectatissimo patruo suo iugiter obsequio afficiendo.*

Dn. Jacobo Johannis, *Totius Borealis plagæ Judici æquiss.*


Dn. Cunrado Boehmøllar / *Civi ac Negotiatori Civitatis Neocarlebyensis primario spectabili.*

Dn. Carolo Wtj / *ibidem Civi ac Negotiatori Solertissimo.*

Dominis, meccenatibus, fautoribus &  
amicis omni observantiæ & reverentiæ cultu colendis,

*Hocce opus oratorium grat. mo  
officiosissime dedicat & offert,*

Canutus J. Carlmannus.



Vitam incolumitatem & Salutem.

**M**ysterium incarnationis Christi quoties pij homines memori mente revolvunt, etiam vaticinium Propheticum Esaia Consolationis plenissimum debite recolunt. Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus Consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis. Et replebit eum Spiritu timoris Domini; Non secundum visionem oculorum judicabit, neq; secundum auditum aurium arguet, sed judicabit in justitia pauperes, & arguet in æquitate pro afflictis terræ & percutiet terram virga oris sui. *Quibus verbis rates ille divinus Primò vati.*

cinatur de nascituro mundi Salvatore atq; Messia Christo, è stirpe & fami-  
 liâ Davidis, eaq; non magnifica & celebri existente; sed ad paucitatem  
 redactâ. Deinde Christum ratione suae personae describit ostendendo  
 eum vò esse Philanthropon, sed Theanthropò, sic filium Davidis, ut ante ta-  
 men Creator; Sic filium Abrahae, ut ante tamen promissor ejus simul ac  
 promissio extiterit. Tandem verbis istis officium Christi depingit con-  
 tendendo unigenitum Dei filium ex augustissimo Majestatis divina fasti-  
 gio se demisisse atq; accommodasse ad humana conditionis humilitatem, ut  
 opera Diaboli regnumq; destrueret & aboleret, inq; gloriosissimo suo ad-  
 ventu funditus deleteret; univrsum humanum genus è Tyrannide Dia-  
 boli redimeret; Patris sui caelestis furorem, sua incarnatione, passione &  
 morte in favorem conuerteret, & cunctis mortalibus ad caelestem vitam  
 iter patefaceret. Hunc mundi Salvatorem sancti patres V: T: se in  
 carne visuros votis conceptis optarunt, dicentes: Quis dabit Sion saluta-  
 re Israël? Cum averterit Dominus captivitatem plebis suae exultabit  
 Jacob & latabitur Israël. Hoc de venerandum incarnationis myste-  
 rium ut eò promptius meditetur, est optimi cujusdam parentis filius do-  
 ctina & morum elegantia, conspicuus Adolescens DR. CANU-  
 TUS JACOBI CARLMANNUS, Academie  
 nostrae alumnus, & optimarum artium cultor strenuus, qui Deo duce atq;  
 auspice cras finitis precibus oratione à se doctè conscriptâ publicè pro con-  
 cione idem plenius eloquetur. Proinde literatissimos Dominos Studio-  
 sos eâ quâ par est animi contentione rogatos volumus, ut praedicto tempore  
 frequentes adesse haud sibi grave atq; molestum ducant. Per scriptum  
 Abogiae die 15. Decembris Anno 1644.

H. H. tes  
 amice colens

NICOLAUS LAUR. NTCOR  
 Log: & Poës. P.P. & p.t. Decanus.

O R A T I O  
<sup>De</sup>  
CHRISTO NOBIS NATO & DATO.

**G**Ratissima & Jucundissima Admodum Reverendissime & Excellentissime Dn. Pater, in chrysa hujus Dioeceseos Aboënsis Episcopo dignissime, Regie hujus Academiae Procancellarie amplissime, studiorum meorum Fautor & Mecenas, omni honoris & observantia cultu ævum devenerande. Magnifice Domine Rector. Reverendi, Clarissimi, Consultissimi, & Excellentissimi Domini Professores, Patres Academici celeberrimi, studiorum meorum Mecanates, Promotores & Præceptores, omni Reverentia & observantia cultu ævum suscipiendi, colendi. Clarissime & Præstantissime Domine Magister Fautor & Benefactor, omni honore & obsequio officiosè aficiende. Tuq. Studiosorum concio ornatissima, doctrina & moribus præstantissima. Gratissima inquam & jucundissima sunt Summi DEi ad Mariam legati verba: Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum, hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur, & dabit illi Deus sedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Quibus verbis nuncius ille cælestis indicare voluit, Christum Iesum, Regum regum

Dominum Dominantium, in hunc mundum peccatis refertum  
venturum, atq; hominem corpore animaq; rationali constantem &  
creaturam accepturum. Cum enim protoplasti statim a primor-  
dio defectionis, sub aeterna poena, cruce gravissima, atq; innumeris  
penarum periculis constituti, atq; aeterna damnationi subjecti es-  
sent. Christus Iesus erga illos misericordiam motus, eorum & cun-  
cta posteritatis illorum misertus, incarnari voluit, seq; in hoc pro-  
fundum & seivissimum mare ex nobilissima & purissima parte a-  
etheris ex amantissimo, florentissimo, & Olympico horto, ubi Sol  
Deus est, temp<sup>o</sup> aeternitas. Avor vicissitudines anni ver perpetuum,  
mitti passus est; & a Theotoco, quam pie cum Bona Ventu-  
ra, Iovem sine Eclipsi, aut dulcius cum Bernhardo, a-  
grum sine spineto, aut sincerius cum Ambrosio Castel-  
lum sine proditore, aut magnificentius cum Augustino  
coelum sine nube, aut sapientius cum sapiente Speculum  
sine enormi navo, aut divinius cum Ecclesia, totam pul-  
cram sine gravi macula, concipi, & ab eadem, que haud ine pie  
vocatur Sol, quem nulla superbia tanquam Eclipsis offu-  
dit: ager, quem nulla ira tanquam spinetum occupavit:  
castellum, qd nulla carnis cogitatio tanquam proditrix  
expugnavit: coelum, quod nulla invidia tanquam nubes  
offulca vit: Speculum, quod nullum grave delictum tan-  
quam macula inquinavit, se nasci servit, & ut agnus pati, qualis  
agnus? Simplex, ita tamen simplex ut non capiatur a vulpibus.  
Pati ut agnus, qualis agnus? Mitis, ita tamen mitis ut non inter-  
imatur a leonibus: Pati ut agnus, qualis agnus? Mutus, ita ta-  
men mutus ut non vincatur ab Eloquentissimis, crucifigi, mori, &  
sepeliri, propter omnium hominum peccata dignatus est. Qua  
passione & morte, omnium cacodaemonum & inferorum vim atq;  
potestatem, qui cum vident, dolent, dum sentiunt, invi-  
dent, dum audiunt, horrent, dum ferre coguntur, furiant,  
dolendo tamen horrendo, invidendo & furiendo nil  
effi-

efficiunt, disturbavit ac devastavit, nosq; & omnes Adæ posterorū,  
ab aeterna cruce, infinita pœna, & intolerabili torturâ, non quī-  
dem auro, quo Jupiter thronum suum, Sceptrum & coro-  
nam induxit, Sol, capillos & currum suum adornavit,  
virgam auream Mercurius efformavit, qua aspicien-  
tium in se oculos reflexit, ut spectantium & admiranti-  
um animos exhauriret, Majestatem rebus adderet &  
quandam venerationem conciliaret, nec argento quo  
Nebucadnezar omnia sua vasa construi sivit sed suo pretio-  
sissimo ac sanctissimo sanguine, nos ab omni peccato emundante,  
liberavit.

Quare hoc paulo altius mecum perpendens, re-  
hujus mysterio motus & allectus, non potui non pauca  
de hac materia, scilicet De Christo nobis nato & da-  
to, pro rudi ingenij minerva, ad vos impraesentiarum  
proferre, quod dum fecero, vos quotquot adestis Audi-  
tores omnium ordinum & ætatum Spectatissimi, ob-  
nixè rogatos volo, ut mihi balbutienti, nullo Eloquentiæ  
succo, facundiæve favo delibuto declamatiunculam,  
nullis verborum phaleris, sententiarum ampullis, aut  
Troporum coloribus politam, jam jam tenuiter recen-  
senti, ad quadrantis horula usuram, aures patulas, beni-  
gnas, & benevolas, commodare ne gravemini. Ta-  
edium quod fortè creat illius inconcinnitas, recompen-  
sabit ejusdem brevitatis.

Omnipotens dictis divinum asperge leporem.

Ut rem ab ovo ( ut ajunt ) exordiar, mox ple-  
ctrum ad lyram restringam, & primò patriam & Na-  
tivi-

tiuitatem eius leuiter saltem attingam. Quod  
igitur ad Patriam & Natiuitatem Christi attinet,  
tum eam Judeam, omnium regionum laudatissimam,  
melle & lacte manantem, Abrahami posteritati pro-  
missam, totq; annis à peculio Dei cultam & inhabita-  
tam, & ciuitatem quidem Bethlehemiticam esse con-  
stat, nam perhibent Magi apud Evangelistam Mat-  
thaeum in Bethlehem natum esse regem Iudaeorum, quem  
ut ibi dicunt; venimus adorare nam vidimus STELLAM eius  
ab ORIENTE.

Quare Spiritus Sanctus apud E-  
uangelistam Iohannem Vetus Testamentum laudans  
Christum illic loci in lucem editum fuisse declaravit, ubi  
inquit: Nonne Scriptura dicit, quia ex semine Da-  
uid, & de bethlehem castello ubi erat David, venit Chri-  
stus. Ex his itaq; argumentis liquido constat, Chri-  
stum in dicto loco & die quidem à diuino decreto praesi-  
nito, generatum atq; profeminatum fuisse iuxta illud  
Paulinum: ubi venit plenitudo temporis, misit Deus fili-  
um suum factum sub lege, natum ex muliere, ut eos qui sub  
lege erant redimeret, ut adoptione filiorum acciperem.  
O Diem beatam, O Diem omni mente superiorem, O Diem omni tempore  
maiolem, O Diem omni mundo honorabiliorem, O Diem omnibus homini-  
bus, totius mundi amabilem, O Diem collati beneficii magnitudine illustrem  
O Diem omnibus hominibus angelisq; impervestigabilem, O Diem mysterii  
profunditate imperferutabilem, O Diem mundo, hominibus, & sanctis ge-  
neis mirabilem, O Diem singulari sublimitate incomprehensibilem,  
qua unus ille ex uno, verus ille ex vero, bonus ille ex bo-  
no, sempiternus ille ex sempiterno, Deus in Deo, Deus  
ex Deo, Deus apud Deum, Deus cum homine, Deus in  
ho-

homine, Deus inter homines, & Deus propter homi-  
nes homo factus, in mundum venit, spiritus in corpus,  
immensus in mensuram, incircumscriptus in locum,  
inexplicabilis in linguam, invisibilis in colorem, crea-  
tor, in creaturam, altitudo in humilitatem, amplitudo  
in angustias, longitudo in brevitatem, redemptio in ca-  
ptivitatem Tripudiando igitur gaudeamus, & gauden-  
do tripudiemus, nos maledicti, quia benedictum, nos  
rei, quia innocentem, nos egroti quia Medium, nos in-  
firmi quia potentiam, nos timidi quia consolationem,  
nos iniusti quia iustitiam; nos damnati quia salutis gra-  
tiam, nos errantes quia ducem, nos mortui quia vitam  
accepimus. Quem aeternus pater, aeternitatis hodie  
essentiae suae splendorem, & substantiae suae characterem  
generat, egressum a principio aeternitatis habentem, ini-  
tium dierum & sine vita carentem. Verum Melchise-  
dechum Sacerdotem & Regem. Hodie virgo o-  
lim abjecta; olim humilis, nulli nota, totam gratiae di-  
vinae incarnationis ac misericordiae abssum, Christum  
Iesum, quem in utero conceperat, pro nobis in praesepio  
peperit. Qui cum legem traderet in igne ardebat, nunc  
gratiam annunciat, qui ab omni saeculo caelo alior  
erat in foeno jam jacet. Tu Deus & Creator, jam  
es Creatura, Tu aeterni Patris filius, jam etiam es primae  
parentis Adami filius, Tu vita ipsa, haec mortis  
rea, Tu omnipotens haec imbecillis, Tu ab aeterno pro-  
diens

diens, à mente patris, par illi majestate, par omnipotentia, par honore, hac è perversa stirpe & rebeli, Adami peccato de formi, miserijs abjecta, servituti mancipat à sceleribus infami. O Diva mater, quis tuam mentem divinius describere potuit, quam Divus ille Bernhardus verbulis hisce subsequenter: Quid horum non mirabile? Quid non incomparabile? Quid non singulare magnum, utiq; quod virgo, magis quod virgo simul sim & mater, O Dilecte puer quis es? quidem filius meus, sed & Deus & creator meus, sugis ubera mea, qui pascis universa parvulus es in manibus meis, qui omnia tenes in manibus tuis. Quotquot aut rubri maris fluctus obruerunt, aut in decerto vel alibi alijs, ultricis justitiæ gladij sustulerunt, omnes sacrilegi, adulteri, perfidi, sicarii, virginum stupratores, idololatra, imò omnes homines, si vel ipsissimo Herode deteriores fuerint, ab hujus virginis partu servantur si servari modo voluerint. tempus adest, quo non se tantum ad hominem, sed ad primam hominis ætatem admisit Dominus, O Dies læta, O Dies plena gaudij, hilaritatis plena, plena gratiæ, qua humiliatione homo & frater noster factus est. O Dies terq; quaterq; decantanda, in qua natus est, is qui ante diem fuit, & qui diem primum fecit. O Diem benedictum, quo filius Dei è cœlo delapsus humanam induit naturam, ac incorporatus, infinitis laboribus est cruciat? & ærumnis, morti deniq; deterrimæ ac acerbissimæ sese exposuit, quo sudore ac sanguine suo, ab animis nostris durissimum jugum aternæ depulit servitutis. Hodie qui sine corpore erat, corpus induit, qui aspici

non poterat aspiciatur, qui tangi non poterat tangitur:  
qui sine tempore erat esse incipit. Filius Dei, filius fit  
hominis, Hodie cum hominibus Deus, coelum cum ter-  
ra, mortalitas cum aeternitate conjunguntur, quia cum  
divinitate conjungitur humanitas. Olim propter po-  
tentiam incomprehensibilis, nunc propter humili-  
tatem admirabilis, descendit ut misericordia conser-  
vet, quicquid per potentiam creavit. Hodie mors pe-  
rit quia vita nascitur, hodie mendacium tollitur, quia  
veritas ostenditur, Hodie auferitur error, quia via ster-  
nitur, Hodie manna misericordia, manna gratia de  
coelo delabitur, panis, quem qui edit non moritur in a-  
ternum. Dies fausta, dies magna, dies lucida, dies si-  
ne vespera, dies finis seculi, initium aeternitatis.

Quod autem ad personam Christi attinet, paucis  
me expediam verbis, de qua reperiuntur plurima dicta  
scripturae qua testantur Christum esse matrem hominem,  
& Patrem Deum. Ut Regius Isaias canit: Sedes  
tua Deus in seculum seculi, virga directionis, virga re-  
gni tui: Etiam in libro Proverbiorum extat: Ab aeterno or-  
dinata sum, ab antiquis antequam terra fieret, Dominus  
possedit me in initio viarum suarum, antequam quic-  
quam initio fuerit. Non dum erant abyssi, Nec dum  
fontes aquarum eruperant, nec dum montes gravi mole  
constiterant, ante omnes colles parturiebar: Nec non in  
Apocalypsi: Ego sum Alpha & Omega, principium & fi-  
nis dicit Dominus qui est, & qui erit, & qui venturus est  
iudicare vivos & mortuos. Et multa alia dicta perhibent

Et testatur Christum Iesum esse verum Deum, ab aeterno genitum, quae ad recensendum neq; tempus sufficeret, Et audire longum foret.

Quod vero ad Christi humanam spectat naturam, testatur sacra pagina eum esse verum hominem ex Maria virgine genitum, seu in lucem editum. Esajas hujus rei facit mentionem, ubi inquit: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabit nomen ejus Immanuel. Etiam Evangelista Matthaeus inquit: Pariet autem filium & vocabit nomen ejus Iesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Et angelus apud Lucam Mariae annuncians dicit: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi ideoq; & quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei.

Quod vero pueritiam concernit Et educationem ejus jam nunc in pueritia postquam circumcisus est. Amagis ab oriente venientibus, auro, Thure, mirrha donatus verus Messias cognitus Et adornatus, Et a parentibus Hierusolymis secundum legem coram Deo adductus est, statim in exilium pulsus ob immanissimam Tyrannidem, secundum persuasionem Angeli in Aegyptum profectus, ibi permansit, donec Herodes, ipsissimum mortis aeternae mancipium, vivumq; Daemonis organum animam efflaret. Deinde cum parentibus suis accessit nazarethum, Et ipsis obediens fuit, ex historijs Evangelicis enim non constat radios aliquos divinitatis ejus effulsisse, antequam duodecim annorum esset, una itaq; cum parentibus Hierusolymam sequutus est.

tempore pascatos ibi moras nexuit, in templo Domini  
versans, cumq; Judeorum doctissimis prolixè disputa-  
vit, de rebus abstrusissimis gravissimis- percontans,  
quarens, omniaq; maxima cum admiratione demon-  
strans, deinde Nazarethum reversus, a tate, gratiaq;  
coram Deo & hominibus profecit.

Iam meritò oporteret ut agerem de munere officioq; Chri-  
sti, nec non de spiritualibus corporalibusq; donis, verum qui hæc  
efferreret, ei opus esset angelica Eloquentia, excellentiori sanè, itaq;  
opus haberet dicendi copia, quam hæc est, qua ego sum potitus.

Officium tamen Christi Triplex est, Regium  
nempe, Sacerdotale & Propheticum.

Quod Regium hoc officium concernit, de hoc lo-  
quitur S. Sanctus apud Ieremiam his verbis Ecce dies venturi  
sunt, quibus excitabo germen Davidi justum, qui regna-  
bit rex, facundabiturq;, ac exercebit in terra justiam.  
Etiam Psalmista David de hac re admodum scitè canit. Ego  
autem constitutus sum rex super Zion montem sanctum  
ejus, prædicans præceptum ejus. Dominus dixit ad  
me, Filius meus es tu, ego hodiè genui te, postula à me  
& dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem  
tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea tan-  
quam vas figuli confringes eos. Etiam alibi: sceptrum  
fortitudinis tuæ emittet Dominus ex Zion, dominare in  
medio inimicorum tuorum. Etiam Propheta Zacharias  
kujus rei facit mentionem, ubi inquit: Exulta filia Zion, Ju-  
bila filia Jerusalem, ecce rex tuus veniet tibi justus & Sal-  
vator. Sed hoc notandum venit quod Spiritualis  
quidam rex, non mundanus regnabit.

Sacerdotale ejus officium Regius Psaltes eleganter depingit; Jurabit Jehova & non poenitebit eum, tu es Sacerdos in seculum secundum MELCHISEDECH. Etiam in Epistola Pauli extat: Unde fratres sancti, vocationis coelestis participes, considerate Apostolum, & Pontificem confessionis nostrae Jesum. Item Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra. Christus ipse dicit: Ego sum Pastor bonus, Pastor ille bonus, qui animam suam dat pro ovibus.

Verum de Prophetico munere loquitur Moses omnis humana historia parens, hoc modo: Prophetam suscitabo illis, de medio fratrum tuorum, similem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quae praecepero illi. Etiam Mathaeus dicit: Hic est filius me dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Spiritus Domini super me. Etenim Dominus unxit me, ad Evangelizandum afflictis misit me, &c. ad praedicandum annum placabilem Domino, dicit Esaias. Deum nemo vidit unquam, unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit, dicit Iohannes.

Qui Universam hanc mundi machinam caelum, & terram, cum Patre & Spiritu sancto, nulla antecedente materia creavit rudem postea indegestamque molem ordinavit; Sole, Luna, Stellis, Caelum; Arboribus ac Plantis, Terram ornavit, per m d i a s oceanum maris aquas, sugientibus, Aegyptiacam servitutem, Israelitis siccum iter praeiit, solem suo cursu, fluvios suo incursum stetit. Qui vixit nobiscum, inter nos habitabit, suavissime ac humanissime inter

nos egit, nemini gravis fuit, omnibus utilis, morbos sanavit, Diabolos ejecit, animabus salutem aberrantibus comiter monstravit. Qui si vidit caecum oculos aperuit, si quem claudum, ei pedes restituit, si quem mutum, vocem reddidit, si quem esurientem, eum pavit, si quæ mater unicum lugebat filium, ei vitam restituit. Deus ipse, quo nihil fingi majus, aut excogitari excellentius potest, sui quodammodo immemor nostri memor, nostræ salutis cupidus, extremam sibi propemodum necessitatem ultro imposuit, laceratisq; membris animam suam pro scelerum nostrorum expiatione, omnipotenti commendavit. Christus Jesus cujus humanitas unita verbo, obstupescente natura, omnem admirationem evicit. Christus qui omnia factus omnibus, pauper pauperibus, dives divitibus flens flentibus, esuriens esurientibus, sitiens sitientibus, vulneratis medicus, febricitantibus fons, indigentibus victus, cæcis lux, errantibus via. Heros noster bellicosissimus ac fortissimus qui Dei patris furorem, sua integritate in favorem convertit, qui demonem & jugum abduxit, tot elapsorum arumnas & lacrymas seculorum sedavit, qui reparatæ salutis fortunatissimum initium dedit. Qui multa præclara & admiranda divinitatis suæ indicia reliquit, dum innumerabiles & varias morbos depelleret, dum alios Dæmonibus oppressos liberaret, alios à mortuis exci-

excitaret, surdis auditum, mutis locutionem, aegrotis  
integram valetudinem redderet, nullo unquam Phar-  
maco, nullis herbis, nulla arte medica usus est, sermone  
tantum ac tactu omne morborum genus profligaret,  
Christus cujus tanta est in defendendo potentia, quan-  
ta in deprecando gratia, ut nullam penitus apud Patrem  
suum, quem pro mortalibus interpellat, repulsam pa-  
tiatur. Christus, quia super omnia suas oves dilexit  
se diligit, omnium etiam tenerrimarum ovium sua-  
rum calamitatibus oppressarum miseretur, Christus,  
quia innocentiam purissimè custodivit, idcirco diligen-  
tissimè peccatorum sordibus inquinatos repurgari cu-  
pit, Christus, quia totius domicilium ac vasculum san-  
ctitatis fuit, propterea avidissimè curat, ut fideles ad i-  
psam cōsugientes, pulcherrimarum virtutum accessio-  
nibus augeantur, caelestibus Thessauris locupletentur,  
uberrimisq; gratia donis facundentur. Dominus ad  
cujus Majestatem caelum se humiliat, genua sua tellus  
incurvat, Magister, cujus ad potestatem angelus se  
submittit, Dominus ad cujus imprecationem ficus ex-  
arescit, & ad increpationem mare conquiescit. Ma-  
gister ad cujus placitum & nutum pisces adsunt. Do-  
minus, cujus voce ambulant claudi, eriguntur curvi,  
tangunt aridi, vident cæci. Magister, cujus jussu ce-  
dunt Dæmones, cessant febres, curatur Hydropsis,  
mutatatur Paralisis. O lingua ut Christum eloqua-  
mi-

mini ubi estis? lingua non hausta ab arte, sed accepta  
ex aethere. Intellectu enim ut hic est mihi incompre-  
hensibilis, ita eloquio mihi est ineffabilis. Non venit  
curru oburneo ut Cæsar, quem Elephanti quadra-  
ginta trahebant, non intraverat leonibus invehens,  
ut Antonius, Non à cervis ductus ut Aurelianus.  
Quo Ergò? Quo? Alina fuerat invehens, ut in hoc  
vultu hujus regis introitu, regius eluceret Triumphus.  
Qualis est igitur illa triumphandi ratio Christe,  
Jesu? ubi erant igitur Archangeli tui? Quid agebant  
Cherubim? Quo abierat universa militia caelestis?  
Ubi erant? O Daniel millia millium administrantium  
ei, & decies centena millia assistentium ei. Ubi erant?  
O David, nubes, super quas vehebatur, & penna ventorum  
super quas ambulare posset, nimirum pauper & humi-  
lis in ortu, Mansuetus & egenus in exitu, per spinas  
ad flores, per supplicium ad Triumphum tendens. Ca-  
ptus est igitur Christus, ubi vero? in horto. Perdi-  
tus est Christus, à quo? à Discipulo & Apostolo.  
Adductus est Christus, à quo? à populo dilecto. Ca-  
ptus est in oratione, proditus est osculo, adductus est  
Catenis. O Immanem duramq; terram, O Inmu-  
tatum nimis hoc tempore Cælum.

C

Hæc

Hæc ego, quod superest, ad te Deus alme Deorum  
Mens mea se vertit, facilemque bonumque parentem  
O fons æternæque spei, pelagusque salutis  
Illumina mentes divini numine flatus.  
Reginam defende Deus, qui cuncta ministras  
Pro solitâ bonitate tua per secula tuere  
Quo regat imperio patrijs & legibus orbem  
Ultimum ad usque diem rerumque novissima fata  
Ac regni proceres, fortes terræque potentes,  
Justitiam verè vigili pietate regentes.  
Protege cunctipotens præceptores Reverendos  
Et Studiosos Aonij quoque fontis alumnos.  
Ut doceant, discant, ipsis & acumina dona  
Nosque Choro adjuncti in terris sine fine fideli,  
Dicemus tibi Trifagion: post summa dierum  
Tempora, Sancti agni Cantabimus atque Triumphos  
Alta æternorum Seclorum in Secula.

D I X I.





1001870259

